

injungendo, quatenus prælibatos supplicantes, ac alios in dicto Examinatoris officio eo modo succedentes nostra & dicti nostri Genitoris gratia, uti & gaudere pacifice faciant, & quieti ipsamque de puncto in punctum juxta sui formam, & tenorem teneri, & ab omnibus inviolabiliter observari, non permitteutes quicquam deinceps in ejus, & dictorum supplicantium aut eis in dicto officio succedentium quomodolibet attemptari, seu innovari. Sed si quid secus factum extiterit seu alias innovatum, illud ad statum pristinum & debitum reducant, seu reduci faciant. In cujus indilate testimonium, sigillum nostrum præsentibus Litteris duximus apponendum. Datum Parisiis, prima die Junii. Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo.

(a) Mandement au Seneschal de Beaucaire, de Nîmes & de Carcassone, contre le nombre excessif de Sergens & de mangeurs, & contre les rogneurs de monnoies.

JEAN I.^{er}

& selon d'autres, Jean II.
à Corbeil le
29. Juin
1333.

JOHANNES Dei gratia Francorum Rex, Senescallo Bellicadri, & Nemausi & Carcassone, & eorum Locatenenibus, Salutem. Consules Universitatis & habitatorum bonarum Villarum, & locorum Senescallarum vestrarum, nobis exponi fecerunt, graviter conquerendo, quod licet vos, & alii Officiales nostri ordinarii pro justitia ministranda & pro regimine patriæ & subditorum nostrorum, sitis per Nos & Prædecessores nostros principaliter (b) instructi, & ex debito vestri officii teneamini, ad ea quæ vestro incumbunt officio, vigilanter & solite attendere, & studere. Nihilominus in illis partibus, & præsertim in vestris Senescalliis cotidie supervenit & concurrit pluralitas diffusa Servientium & Comestorum taillatorum, seu scisorum monetarum, & super transgressione ordinationum monetarum nostrarum assidentium se a nobis, seu Locatenenibus & Capitaneis nostris deputatorum, per quos conquerentes ipsi & alii nostri subditi expensis & salariis personarum hujusmodi diversimode consumuntur & per compulsiones hujusmodi, ad compositiones pro nobis, seu financias faciendas ipsis, non auditis in eorum rationibus & defensionibus inducuntur, & etiam compelluntur, & alias multipliciter opprimuntur, & indebite molestantur, quodque ex hoc multa dampna & inconvenientia nobis & toti reipublicæ proveniunt eo maxime quod metu dictorum fractorum & taillatorum dictarum monetarum quamplures mercatores advenæ in regno nostro mercari formidant, & etiam habitare seu alias conversari, in nostri & subditorum nostrorum dispendium non modicum & jacluram, supplicantes per nos super hiis de salubri remedio provideri. Quocirca nos circa bonum regimen nostrorum fidelium subditorum, prout est nobis possibile, advertentes, & ipsos nostros subditos a talibus oppressionibus relevari cupientes, Mandamus vobis & vestrum cuilibet committendo, quatenus unusquisque vestrum circa bonam justitiam, præfatis nostris subditis reddendam & ministrandam, & ad cetera omnia, quæ vestro cujuslibet incumbunt officio, fideliter & attente vigiletis & etiam studeatis attendi, quod per alios officiales vestros vobis subditos faciatis, non permitteutes tales Servientes & Comestores ac fractores, seu copatores monetarum, quos & eorum quolibet, quo ad fractionem, seu captionem monetarum, Nos, habito super hiis maturo Consilio, de nostra certa scientia, tenore præsentium revocamus, talibus vii officiis in vestris districtibus, nec aliquid per eos, aut eorum alterum quomodolibet taliter attemptari, secus facta per eos, seu alias attemptata, quatenus ea facta indebite per vos reperti fuerint, revocando ad statum pristinum & debitum reducendo indilate. Nostræ insuper intentionis existit, quod deinceps præfati fractores seu copatores monetarum prædictarum hujusmodi officio nostro non possint uti, imo sint penitus revocari, nisi in casu quo moneta

NOTES.

(a) Ce Mandement est en la Seneschauflée de Nîmes en general, armoire A. liasse 17. des
Tome II.

Actes ramassez, n.º 2. fol. 1.

(b) Instructi.] Dans une autre Copie il y a mieux, instruiti.

Vuu

prohibita extra regnum portarentur, litteris in contrarium impetratis subrepticis, vel impetrantibus non obstantibus quibuscumque. Datum Corbelii die vigesima-nona Junii, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo-tertio. Per Regem in Consilio suo FRANCO.

JEAN I.^{er}

& selon d'autres, Jean II.
à Paris au
mois de Juin,
l'an 1353.

(a) Lettres par lesquelles le Roy augmente le nombre des Consuls & des Conseillers de la Ville de Nîmes.

JOHANNES Dei gratiâ Francorum Rex, notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, Nos infra scriptas vidisse Literas, formam que sequitur continentes. Bertranclus, miseratione divinâ Vabrensis Episcopus, Domini nostri Francorum Regis Consiliarius, & Reformator generalis & Commissarius super nonnullis negotiis, in Lingua Occitana, per Majestatem Regiam deputatus, universis presentes Literas inspecturis, salutem. Quoniam omnis respublica, sub bonis regimibus, ordine, administratoribus & auctoribus constituta maximum sentiat vigorem, per amplius honores, & Jura Regia procuranda, cum circa bonum subiecti à Deo populi oculos advertimus nostre mentis. Sane Nemausensis civitas, sub Domino nostro Rege, omnimodo in maritantis partibus, ac Regni finibus, versus partes Provincie constituta, sic usque nunc, in eligendis Consulibus, quibus datum est regendum & gubernandum Jura civitatis, usa est, quod inter decem scalas ipsa civitas divisa, de una qua platea vulgariter nuncupatur, in qua hactenus, antè communis mortalitatis proximè lapsis tempora, habundantes præ aliis, divitiis, sapientia & honoribus laudem fovebant, & quasi pro parte majori ipsius civitatis onera supportabant, duo Consules & novem Consiliarii, de aliis vero novem scalis omnibus, Ministeriorum & Officiorum alii duo solum Consules, & duodecim Consiliarii sunt electi, qui una cum aliis quatuor Consulibus, nobilibus tamen, qui in Castro Arenarum ipsius civitatis contiguo, eliguntur usque ad pauca tempora ipsam civitatem & Castrum rexerunt, & gubernarunt decenter & laudabiliter, voce communi testantium. Illis verò temporibus, novercante fortuna, taliter mortalitas usa est, quod in dicta platea non sunt, ut assolet, præ aliis habundantes divitiis, experientiis pariter atque censu, ob quod quia morem antiquum sequendo, de dicta platea sumata, duo Consules eliguntur, & numerus Consiliariorum prælibatus, & de aliis qui de nunc fere majora & ampliora onera civitatis supportaverunt, solum alii duo creantur, & personis nobilibus deficientibus in castro Arenarum, non solum minores, quin imo impuberes Consules eliguntur, quibus civitatis Consules adjuvantur, sed ad nihilum, ipsorum ætate impedimenta præstante, ipsa civitas plena negotiis, & habitantes in ea minus bene regitur & multis oneribus agravatur, & verisimiliter in futurum multo amplius aggravabitur, & crescent pericula, nisi per providentiæ clypeum muniantur. Fuit igitur, pro parte aliarum novem scalarum, ministeriorum & officiorum sibi ipsis cupientibus provideri, nobis humiliter supplicatum, ut ceteros alios duos Consules, & novem Consiliarios de qualibet ipsarum novem scalarum, unum habitantem & amodo more aliorum eligendorum, mediante financia quatuor centum scudatorum auri, quam se dativos Domino nostro Regi pro suis guerris necessitantibus, ut petita assidius consequantur, obtulerunt, concedere dignaremur. Nos igitur Episcopus & Reformator prædictus, habita deliberatione plenaria, & consilio, cum nonnullis Officialibus & Consiliariis Regiis, Biterris & Tholose, eorum presentium propositum commendantes, attendentes, quod decens est, ibi esse honores, ubi sunt omnia, concessimus, & concedimus per presentes, quod ultra numerum consuetum duorum Consulium, & prædictum Consiliariorum, alii duo consules & novem Consiliarii de qualibet scala ministeriorum, & officiorum, unus de ipsis novem scalis, medii, &

NOTES.

(a) Ces Lettres sont au Tresor des Chartes, Registre cotté 81. pour les années 1351. 1352. & 1353. piece 797.